



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Horologii Sacerdotalis Hora IV. Matutina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

HOROLOGII

Sacerdotalis

H O R A I V,

Matutina.

V T primūm evigilas, excitari te cogites, vel suavi voce S. Angeli Custodis tui, te ad laudandum Deum evocantis & insusurrantis, N. Surge velociter; vel terribili tuba ultima clangore intonantis: Surgite mortui, venite ad iudicium; & consiliū Ecclesiastici sequens: Horā surgendi non te trices. c. 32. tempusve nobile somno superfluo transigas: tempore enim nihil pretiosius, nihil celerius aut brevius: Ergo dum tempus habes, operare bonum, & Quodcunque potest operari manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas. Eccli. 9

Praxis surgendi.

Evigilans, mox offer cogitationum & actionum tuarum primitias, & in affectus ferventes erumpe: Deus, Deus meus ad te de luce vigilo: cor meum & caro mea exulta-

ulta-

ultaverunt in Deum vivum. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, *Psalms. 62.*

Gloria Patri, qui creavit nos: gloria Filio, qui redemit nos: gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos. Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

Dum surgis.

Formato signo crucis, dic: In nomine Domini nostri Jesu Christi Crucifixi surgō: qui me pretioso Sanguine suo redemit, ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitam perducatur æternam. Amen.

Dum vestes induis.

Sacerdotes tui, *Domine*, induantur iustitiam, qui promisisti: Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultationem exultabunt. *Psalms. 131.*

Ad Deum Patrem.

Fac me, Pater æterne, exuere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate Veritatis. *Ad Ephes. 4.*

Ad Filium Dei.

Indue me, Jesu Christe Rex gloriæ, al

bâ humilitatis tuæ, & purpurâ patientiæ,
ut impleam illud Apostoli tui: *Induimini*
Dominum nostrum Iesum Christum. Rom. 3

Ad Spiritum Sanctum.

Orna me, Sancte Spiritus, vestitu deau-
rato ardentissimæ charitatis, & circumda
me varietate donorum tuorum, ut te super
omnia diligam, & magnalia tua semper
deprædicem.

Ad Beatissimam Virginem.

Contege me, ô Mater misericordiæ!
fragantibus Filii tui vestimentis; ut tanquã
electus Dei, sanctus & dilectus, induam vi-
scera misericordiæ; benignitatem, humili-
tatem, modestiam, patientiam & castita-
tem: atque ita Patris cœlestis benedictio-
nem obtineam.

Ad S. Angelum Custodem.

Muni me, Sancte mi Angele Tutelaris,
armaturâ Dei, loricâ justitiæ, galeâ salutis,
scuto fidei, & gladio Spiritûs; ut possim
stare adversus insidias Diaboli, & omnia
tela nequissimi ignea extinguere.

Dum Caput pectus

Repelle à me Domine, Spiritum super-
biæ & immunditiæ; & orna caput meum
coronâ gloriæ.

Dum

Dum faciem & manus lavas.
Pie Pelicane Jesu Domine, me immun-
dum munda tuo sanguine. Amplius lava
me, & ab iniquitate mea munda me.

P R A X I S

Perfolvendi Preces matutinas.

*Circa primum quadrantem, si commo-
dum sit, visita Venerabile Sacramentum;
sin minus, ante aram domesticam, ardenti
corde in sequentes exurpe affectus.*

Oratio I.

*Ad Sanctissimam Trinitatem.
Sis Gratus.*

ADoro & veneror te, ô sanctissima Tri-
nitas, te glorifico, laudo, benedico, ac
totum me ante thronum Majestatis tue
humillimè prosterno. Tibi gratias ago, pro
plurimis, maximisq; beneficiis tuis, creati-
onis, conservationis, redemptionis, sancti-
ficationis, vocationis ad veram Ecclesiam,
atq; ad ordinem ac statûs sacerdotalis dig-
nitatem; aliisque innumeris, & nominatim
pro hac nocte tã feliciter transacta. Quot
eheu! mortalium millia etiam hac nocte
in infidelitate, hæresi, aut peccato lethali ad

Inferos rapta æternùm perierunt ? & cur non ego ? *Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*
 Psalm. 33.

ORATIO II.

Ad Deum Patrem.

Cor offer.

O Clementissime Pater ! Ego me Tibi cum corpore & anima, cum sensibus & potentiis totum offero, & ad omnem nutum ac beneplacitum tuum penitus configno. Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : sive me ire jubes ad lucem, sive ad tenebras ; sive ad quietem, sive ad labores ; sive ad solatia, sive ad acerbitates ; sive ad vitam, sive ad mortem ; sive per aquam, sive per ignem ; sive per infamiam, sive per bonam famam : Deus meus, volui ; & legem tuam in medio cordis mei ita defixi ; ut non nisi juxta eam, quies & motus, & omnia mea dispensentur. *Domine,*

quid me vis facere ?

Act. 9.

ORA-

ORATIO III.

*Ad Dei Filium.**Opus dispone futurum.*

OJesu amantissime! aspirantete, firmissime propono, omnia mandata & iudicia justitiæ tuæ custodire. Statuo hodie, na die sanctè pensum horarum per solvere sanctissimum Missæ sacrificium sanctè celebrare: omnia denique & singula in nomine tuo faciendo & patiando sacerdotis sancti officium adimplere. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi; & semitas tuas edoce me.* Psalm. 24.

ORATIO IV.

*Ad Spiritum Sanctum.**Vita peccatum.*

Succurre mihi obsecro, ô Divine Spiritus! qui fragilitatem meâ nosti. Ad cæcus ero, & sublimissimæ dignitatis sacerdotalis obliviscar, ut in vitiorum ac peccatorum cloacam me præcipitem, & instar volvam in volutabro luti; præsertim peccati hujus N, tantopere tibi displicetis? Absit hoc à me, Domine: Tu peccatitubantem corrobora, qui sponondit

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. Pl. 90.

ORATIO V.

Ad Sanctos Patronos.

Subsidiúmque pete.

Assistite mihi, hodierna die, fideliter ó sancti Patroni mei! Tu præcipuè Mater mea, & Advocata mea Sacratissima Virgo Maria: & Tu mi sancte & fidelissime Angele Custos, cum S. Josepho, S. Joanne Baptista & Evangelista, S. Petro & Paulo &c. cæterisque Divis Tutelaribus & Sanctis, hodiernâ luce celebribus. Vos pericula mea in lucidissimo Divinitatis speculo clarè cernitis; vos fragilitatem meam nôstis; vos hostium meorum multitudinem, potentiam & ferociam non ignoratis. Pro-
tegitur igitur me, obsecro & adjuvate fortiter: non enim solùm mihi est *colluctatio adversus carnem & sanguinem*; sed & *adversus Principes & potestates tenebrarum harum*. Ephes. 6.

Commendatio ad B. V.

O Domina mea Sancta Maria! me in tuam benedictam fidé, ac singularem custo-

custo-

custodiam, & in sinum misericordiae tuae
 hodie & quotidie & in hora exitus mei, a-
 nimam meam & corpus meum tibi com-
 mendo: omnem spem meam & consolati-
 onem meam; omnes angustias & miseras
 meas; vitam & finem vitae meae tibi com-
 mitto; ut per tuam sanctissimam interces-
 sionem, & per tua merita, omnia mea diri-
 gantur & disponantur opera, secundum
 tuam, tuique Filii voluntatem. Amen.

*Commendatio ad S. Angelum
 Custodem.*

ANgele Dei, qui Custos es mei, me tibi
 commissum, pietate superna, hodie custo-
 di, illumina, rege, gubernas: Et impetra mihi
 Deo misericordiam, emendationem vitae
 veram contritionem, sanctum usum Sa-
 cramentorum, felicem mortem, iudicium
 Dei particulare mite & clemens, ac beatam
 aeternitatem. Saluta quoque ex me omnes
 Sanctos Patronos meos, in primis beatissi-
 mam Virginem Mariam, Matrem ac Do-
 minam meam, illique hanc salutationem of-
 fer: Ave Maria &c. Denique roga omnes, ut
 pro me, ubi forsitan inutilibus operibus oc-
 cupabor, vices meas suppleant, ac Deum pro
 me laudent. Amen.

EXERCITIUM SPIRITUALE

verè aureum.

*Seu methodus dirigendi actiones suas
purè ad Deum, & sanctificandi easdem,
& elevandi operationes etiam minimas ad
altissimum gradum meritorum. Minimum
semel in die dicendum. Juxta Exemplar
Italicum.*

Clementissime Deus, Creator meus,
quemadmodum totus sum tuus; ita
ruum debet esse omne id quod procedit de
me: per te me creasti; hinc multis titulis me
ipsum tibi in donum debeo, cum omnibus
actionibus meis, quæ nullius erunt valoris,
si in te tanquam finem ultimum non fue-
rint directæ.

Ego igitur N. vilissima creatura tua, of-
fero Tibi Bono meo infinito, in omni mo-
mento, me ipsum & totam vitam meam, o-
mnesque operationes meas; particulariter
autem illas, quas facturus sum præsentis die
tam bonas, quàm indifferentes, tam libe-
ras, quàm naturales: & ut Tibi Deo meo
magis placeant, omnes illas unio actioni-
bus Christi Domini nostri, & Sanctissimæ
Virginis Matris suæ, nec non cunctorum

C

Spi-

Spirituum beatorum, & Sanctorum omnium, qui unquam fuerunt, sunt, & in omnem æternitatem erunt.

Tibi etiam consecro omnes passus meos, locutiones & verba, obtutus & ictus oculorum meorum, motus corporis mei, omnem cogitationem & spirationem cordis mei, hoc solùm fine & desiderio, quòd vellem Tibi per unamquamque istarum actionum gloriam dare infinitam, & amare te infinito amore.

Intendo etiam cum omni operatione mea offerre Tibi corda & affectus omnium creaturarum; perfectionem & sanctitatem Angelorum omnium; virtutem Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum; pœnas & dolores Martyrum; poenitentiam Confessorum; puritatem & castitatem Virginum; Sanctitatem Beatorum omnium; finaliter Te ipsum Tibi ipsi, cum infinita perfectione & bonitate tua: hoc autem non ad obtinendam rem aliquam à te, nec ut possideam propter hoc paradisum; sed ex puro amore anxiciæ & benevolentia, & ad dandum Tibi majus placitum & gloriam.

Nec solùm offero tibi cor meum, voluntatem meam, intellectum meum, me ipsum eo modo, quo Tibi magis placet (id quod in unaquaque actione mea facere desidero) sed etiam unà cum illis Tibi offero & ad Te dirigo omnes illas actiones, quæ ab omnibus creaturis fient absque hac directione.

Ulteriùs intendo Tibi offerre omnes illos actus amoris, quibus, uti spero, amabo Te per totam æternitatem; & nunc libere Tibi id ipsum præsentò, quod postea erit absque libertate. Simile intendo de omnibus actibus aliarum virtutum, faciendis tam per me, quam per alios quoscunque Beatos in paradiso. Et quia res omnistan-
tò est excellentior, Tibique gratior, quanto est conformior voluntati tuæ, in omni actione non solùm desidero conformare voluntatem meam voluntati tuæ; sed intendo id solùm adimplere quod Tibi placeat, volens ut fiat tua sola voluntas, & non mea; dicendo semper ore, corde, labiis & vitâ: Fiat Domine voluntas tua.

Dignare solùm, Domine, mihi hanc dare gratiam, ut possim semper magis arden-

ter amare te; perfectiùs servire Tibi; puri-
ùs operari ad gloriam tuam; & taliter
transforma me in te, ut in te solo vivam, &
tibi soli; & hæc sit mea hęc in terris bea-
tudo, id agere, quod tuæ est beneplacitum
voluntati. Amen.

*Intentiones particulares pro sin-
gulis Hebdomadæ diebus.*

Intentio Diæ Dominicæ.

I. Omnia offer ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, ac præcipuè Aeterni Patris

II. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis.

III. In satisfactionem pro omnibus peccatis

IV. Pro extirpatione vitiorum & passionum N. N. N.

V. Pro impetratione virtutum N. N. N.

VI. Pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, & Indorum, Chinesium, Japonum, Brasilorum, Turcarum, Tartarorum, aliorumque populorum infidelium conversione.

Patroni, SS. Angeli.

Feria II.

I. Ad honorem Filii Dei, Redemptoris nostri.

II. III. IV. V. ut die Dominica.

VI. Pro omnibus fidelibus defunctis, præsertim iis, quibus magis obstrictus sum N. N. ut liberati, vicissim impetrent mihi plenarias in morte indulgentias, vel celerem è purgantibus flammis liberationem.

Patroni omnes SS. Patriarchæ & Prophetae.

Feria III.

I. Ad honorem Spiritûs, Sancti, nec non S. Angeli mei Tutelaris.

II. III. IV. V. ut supra.

VI. Pro toto Imperio Romano, & in primis pro hac Patria & Civitate.

Patroni S. Angelus Custos & SS. Apostoli.

Feria IV.

Ad honorem SS. Patronorum: S. Josephi, S. Joannis Baptiste, Patroni Ecclesiæ, altaris &c.

II. III. IV. V. ut ante.

VI. Pro felici morte, tibi, tuisque impetranda.

Patroni SS. prædicti cum Evangelistis & Discipulis Domini.

Feria V.

I. Ad honorem Sanctissimi Sacramenti.

II. III. IV. V. ut supra.

Cz

VI

VI. Pro Pontifice, Episcopis, Prælatiſ &
Eccleſiæ Paſtoribus.

Patroni SS. Pontifices & Confeſſores.

Feria VI.

I. Ad honorem Jeſu Chriſti Crucifixi,
ejuſque ſanctiſſimorum quinque vulne-
rum.

II. III. IV. V. ut ante.

VI. Pro converſione Hæreticorum &
Peccatorum & tuis quoque inimicis

Patroni SS. Martyres.


Sabbatho.

I. Ad honorem B. V. M.

II. III. IV. V. Ut Dominicâ.

VI. Pro afflictis, tentatis, periculi-
tantibus, ac per totum mundum hodie
agonizantibus, præſertim pro cultoribus
ſingularibus. B. M. V.

*Patrone B. Virgo & Sancta Vir-
gines & Vidua.*



OS (S3) SO



Motibus Internis
regitur.

In meditatione mea exardescet ignis.

CA

ME

P
in
orolog
trasclo

MEDIO QUINTÆ.

Horaria vel semihoraria meditationio.

Nihil esse utiliùs meditatione tum ad vitia evellenda, tum ad virtutes inferendas, amoris que divini ignem in nobis excitandum, conservandùmque SS. PP. testimonio & experientiã quotidiana liquet. Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis, inquit Propheta psalm. 38. Ignis inquam, pietatis, virtutis, amoris divini, & eternitatis. Et Doctor Mellissus Eugenium Papam ad meditandum & considerandum caelestia exhortaturus, Mentem, inquit, purificat consideratio; deinde regit affectum, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Ut è contra meditationis defectus, omnis serè vitii & imperfectionis, ruina & desolationis scaturigo est: Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde, lamentatur Ieremias c. 12. id est qui mediretur peccata, novissima

divina

divina, aterna Itaque cum Davide propone, mi Sacerdos, in matutinis meditabor in te, neque molem negotiorum frivole prætende, non es occupatior Davide, regnum, Eugenio Ecclesiam, Ferdinando III. Imperium, Salesio & Borromeo Episcopatum gubernantibus. Imitare legis veteris Sacerdotes Levit. 6. & ignem amoris divini in ara cordis tui assidue fove, eundemq; indes mane novo meditationum & affectuum pabulo instaura, ne paulatim extinguatur.

Praxis Meditandi

Nota. Meditari seu mentaliter orare, nihil est aliud, quam attentâ mente res pias & spirituales considerare atque expendere: ut ex eorum consideratione pius affectus excitetur in voluntate, & voluntate permotâ homo declinet à malo, & faciat bonum. Hoc sine adhibentur tres animæ potentie. Memoria reminiscitur vel cogitat aliquod mysterium divinum ex vita Christi, aliudve punctum spirituale, illudq; representat ac quasi proponit intellectui. Intellectus deinde illud examinat & circumstantias expendit.

C

pendit.

pendit. *Quis, quid, ubi* &c. *Voluntas* denique è re bene perpensa pium affectum elicit, v.g. odium peccati, amorem virtutis, humilitatis, patientia &c. propositaque format.

I. Ante meditationem servanda. I. Prædie sub vesperum meditationis puncta ex P. de Ponte, Megero, Avancino, aliòve libro lege & obiter memoria imprime. 2. Sequenti mane eadem puncta relege & affectus eliciendos prevede. 3. Statue te in præsentia Dei, eliciendo actum fidei, & cum dicendo vivit Dominus in cuius conspectu sto.

II. Sub ipsa meditatione I. Flexis genibus recita orationem preparatoriam: Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni &c. aut Hymnum Veni creator. II. Deinde subjungenda ex mente S. Ignatii duo vel tria præludia, veluti dispositiones prævia phantasiam, intellectumque continent, ne tam facile evagentur. In primo præludio percurritur breviter historia, v.g. Christi nascentis aut patientis. In secundo per imaginationem representamus nobis vel rem gestam, vel locum in quo mysterium

sterium presens peractum est; v.g. stabulum
 Bethlehemiticum, aut montem Calvaria.
 In tertio rursus petitur gratia proposita
 meditationis puncta, cum attentione & fru-
 ctu expendendi: singula verò praeludia cir-
 citer spatio unius salutationis angelica ab-
 solvi queunt. III. Finitis praeludiis pri-
 mum meditationis punctum memoria ex-
 hibet intellectui: intellectus circa illud
 discurret, ruminat, expendit, examinat
 causas, circumstantias, effectus, aliâque ad
 movendam voluntatem accommodata. Post
 hac voluntas convenientes materia vel per-
 sone affectus excitat, ac proposita efficacia ef-
 format. Atque ita ad secundum, tertium-
 que punctum progrediendum, idemq; præ-
 standum est. Quod si in uno puncto gustus
 & devotio quaesita reperiatur, necesse non
 est anxie ad alia transcurrere, donec gustui
 & devotioni feceris satis. IV. In fine medi-
 tationis instituitur colloquium vel ad SS.
 Trinitatem, vel Christum Dominum, vel
 B. V. &c. in quo gratia petitur, ea qua co-
 gnita sunt vel statuta exequendi. V. Ab-
 soluta meditatione brevis instituitur recol-
 lectio & examen de successu: utrum me

memoria, intellectus, voluntas officiis suis
 perfunde, an verò defectus commissi, &
 dolor excitatur. Lumina variora, &
 veritates, affectus proposita breviter an-
 notantur.

Si meditari placeat de aliqua S. Scrip-
 tura sententia, dividenda est in tres par-
 tes, singulas expendenda & affectus sub-
 jungendi. Si verò meditari lubeat de qua-
 piam virtute, considerandum 1. In quo con-
 sistat, quinam eius precipui actus. 2. Quali-
 ta eius amabilitas, honestas, utilitas, ju-
 cunditas, necessitas. 3. Exempla Christi
 B. V. Sanctorum. Et jungendi affe-
 ctus. In meditatione de vita cuiusdam San-
 cti in eius festo: 1. consideranda eius voca-
 tio, electio, dona & talenta natura & gratia
 à Deo concessa. Vbi pro affectu servit, gra-
 tulatio, gratiarum actio &c. 2. Sancti
 cooperatio, ejusdem oratio, mortificatio,
 usus sacramentorum, virtutum &c. Af-
 fectus desiderium imitandi. 3. Prae-
 mium & corona in caelis. Affectus gaudii
 spei &c. Pro praxi meditationem unam
 annexo.

Medi

Meditatio.

De Potestate, Dignitate, & Sanctitate
Sacerdotali.

*Oratio preparatoria recitanda: Actio-
nes nostras quæsumus Domine aspirando
præveni &c. aut Veni creator Spiritus, &c.*

*Preludium I. Percurre breviter animo
historiam ultime cœne Dominica.*

*Preludium II. Imaginare tibi cœnaculum
grande stratum, in quo Salvator cū Apostolis
duodecim mensa accumbit, Corporis & san-
guinis sui sacramentum instituit, & eosdem
potestate & dignitate sacerdotali exornat.*

*Preludium III. Gratiâ divinam effla-
gita, potestatem, dignitatem & sanctitatem
hanc cum fructu expendendi.*

Punctum I. de Potestate Sa-
cerdotali.

*Expende hujus potestatis à Christo col-
late circumstantias. I. Quis ille est cui hæc
potestas consecrandi & absolvendi confer-
tur? Est ille non Angelus aut Archangelus,
non Cherubinus aut Seraphinus sed homo
de humo creatus, homo, inquam, qui quasi*

flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra: homo, folium, quod vento rapitur, stipula sicca, aqua bulla, quam ubi is qui eam inflavit animavitq̄, spiritus destituit, mox sponte resoluta evanescit. Quanta hinc humilitatis & gratitudinis materies? 2. Quid? Hoc facite: sed quid? non vastam mundi machinam, non globos cœlestes, non solem, lunam & sidera; sed Corpus Christi nobilissimum, & sanguinem eius pretiosissimum. Hoc facite, ut ille quem infiniti cœlorum orbis non capiunt, parvo capiat, ut ille qui regnat in gloria, in gloria quodammodo sistatur in ara: ut ille cui venti & mare obediunt & omnia, voci hominis obediat. Hoc facite: Ut panis & vinum transubstantietur, longè majore prodigio, quàm cum aqua conversa est in vinum Jo. 2. Aut aqua fluminum in sanguinem, aut Virga Moysis in Serpentem. Exodi 7. Quanta hinc ansa admirationis & stuporis? 3. Ubi? In Asia, in Africa, in America, in Europa, in terra, in mari, in aère, in omni loco sacrificari & offerri potest hac oblatio munda. 4. Quibus auxiliis? Non magno molimine aut labore; sed lingua &

oris motu, sed quatuor aut quinque, vocula-
rum prolatione (quemadmodum olim cœli
terraque creatio) excelsa hæc mysteria per-
aguntur. 5. Cur? quosine? Ob gloriam san-
ctissime Triados; ob nimiam charitatem
quâ dilexit nos; ob impetrationem veniæ
peccatoribus, augmenti gratiæ justis, refri-
gerii animabus purgantibus; gaudii & læ-
titiæ Cœlitibus. 6. Quomodo? Quantâ
facilitate, quantâ certitudine, quantâ sa-
cerdotis auctoritate hæc prodigiosa myste-
ria peraguntur; obediēte Deo voci homi-
nis, non secus ac Josue imperio sol & luna
steterunt. Josue c. 10. 7. Quando? Indies to-
toto vitæ sacerdotis tempore. Imò durabit
hæc potestas in mundo usque ad consum-
mationem sæculi. Subjungi possunt varii
affectus, vel fidei, vel humilitatis, vel gra-
tiarum actionis, vel alii.

*Affectus & actus fidei & gra-
titudinis.*

CRedo Domine Jesu, & infallibilibus
verbis tuis firmiter assentior, te Apo-
stolis tuis & eorundem successoribus, tam
sublimem admirandamque potestatem con-
cessisse;

cessisse; quia tu es prima veritas fallere & falli nescia. Amplector animitus Oecumenici Concilii à Spiritu sancto directi sententiam: si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit. sess. 22. can. 2. Hoc inquam credo, teneo, amplector, & contrariam hereticorum opinionem rejicio, damno & anathematizo.

Affectus gratitudinis.

Quanta mi Deus, me ingratum, grati & favore prosequeris, dum sacerdotali potestate me beatus agnosco beneficium & summè æstimo, plus enim potestatis mihi indigno per hoc contulisti, quàm si universum orbem terrarum cælo invehendi copiam fecisses, plus virtutis concessisses, quàm si Tartarum totum exhauriendi, & damnatos beatitudine donandi facultatem dedisses. Ego sanè mi Jesu, memor à me mor ero tui, & in æternum non obliviscar tanti benefici quo immeritum affecti

dun

dum in sacerdotem unxisti, & inter Christos tuos me annumerasti, elevans de stercore pauperem & collocans eum cum principibus populi tui. Arque ut opere ipso animum gratum demonstrarem: Propono: 1. Quoties ad Sacrificium me præparabo, memoriâ memor ero præparationis amoris & desiderii, quo desiderasti hoc pascha manducare nobiscum, ut & ego desiderio aliquo & amore succendar. 2. Quoties ad altare accedam, memoriâ memor ero dolorosissimæ passionis ac mortis tuæ, ut præcepisti, & ne obliviscar, alba quam induo, vestem tuam illusoriam, casula purpuram, stola & manipulus funes & vincula, altare Golgotham, Calix passionem, corporale syndonem mortualem vivaciter representabunt. 3. Quoties ad aram consistam, Missæ partes, vitæ tuæ gesta ac virtutes cordi imprimant. 4. Quoties à sacro gratiis agendis spiritum recolligam, memoriâ memor ero tui, & beneficii huius magnitudinem gratus agnoscam, maximi faciam, omni quæ laudum & obsequiorum genere compensare allaborabo.

Collo.

Colloquium ad Iesum Eucharisticum

O Jesu amantissime, per infinitam charitatem tuam, quâ tantam mihi preteritatem conferre dignatus es, obsecro continuam tantæ dignationis tuæ memoriam in me excita, summamque æstimationem elargire, ut iisdem ad cœlestia hæc mysteria debitè peragenda, clarissimaque virtutum tuarum specimina imitanda succendar. Amen.

Punctum II. de dignitate Sacerdotali.

Considera quanta sit sacerdotum dignitas: est enim 1. major excellentiâ regiâ, quæ mundana solum & terrena est, illa verò spiritualis & cœlestis. *Quantum aurum superat plumbum, tantum sacerdotalis dignitas regiam excelsit, (inquit S. Ambros lib. de dign sacerdotum cum videas Regum & Principum colla submitti genibus sacerdotum: 2. Prestantior est sacerdotio veteri, quod oves & ves immolabat, non ipsum agnum immolatum, Dei filium. 3. Nobilior est Patre*

arch

archarum & Prophetarum functionibus, quibus nec absolvendi, nec consecrandi potestas concessa unquam fuit. 4. Sublimior est Ioannis Baptista dignitate, qui baptizando semel Christi verticem tetigit, semel agnum Dei digito demonstravit: Sacerdotes verò nova legis toties eum demonstrant, tangunt, elevant, sumunt. 5. Excellentior denique est, Angelicâ, qui sidera & cœlos movent, Sacerdos verò siderum & cœlorum conditor; ideòque Angelus Domini exercituum nominatur. Malach. 2. Denique ipsius Christi Domini personam sustinet, ejus vestimenta gerit, ejus nomine & autoritate pronuntiat: Ego te absolvo. Hoc est Corpus meum.

Affectus admirationis, exhortationis, pudoris.

O Veneranda Sacerdotum dignitas! in quorum manibus velut in utero Virginis Dei Filius incarnatur! O sacrum & cœleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus S. operatur! uno eodemque momento, idem Deus, qui præsidet in cœlis, in manibus vestris est in

in Sacramento Altaris. O Venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! ô verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est Sacerdos Dei Filium, cujus deliciae sunt esse cum Filiis hominum; & quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti sibi quasi famuli assistunt. Super hoc tam insigni privilegio, stupet coelum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit Diabolus, & veneratur quàm plurimum Angelica celsitudo, S. August. vel potius Joan. Betsius in 4. Decal. præcept.

Verùm ô anime mi! an non par esset vitam & mores tuos dignitati tantæ respondere? ne sit honor sublimis, & vita difformis, Deifica professio, & illicita actio! Si turpe est, Regem abjecto sceptro & diademate stabularium agere, aut more brutorum vivere; quæ turpitudinis erit, sacerdotio regali insignitum vitam degenerem instituere, aut inter pocula belluino more versari? An non æquum foret, te Patriarcharum fidem, Prophe-

tarum

rarum spem, Præcursoris Domini temperantiam, puritatem Angelicam, denique ipsiusmet Salvatoris, vitam, mores, virtutes pro viribus imitari contendere? Hoc si neglexisti, pudore suffundere: qui alios mundasti, forsitan immundus ipse, alios sanctificasti, forsitan profanus ipse, aliis viam salutis ostendisti, aberrans ipse Pastor & idolum; abominatio in loco sancto.

Colloquium & petitio ad Christum.

O Rex Regum & Domine Dominantium, qui me ad præcellam regiamque Presbyterii dignitatem evexisti, concede ut vitam eo munere dignam instituum, Regis instar omnibus vitiis & passionibus meis dominer; Sacerdotum antiquorum, Patriarcharum, Prophetarum & Angelorum sanctitatem & veritatem æmuler, personamque tuam ita sustineam, tanque perfectis moribus exornem, ut omnes videntes laudent & glorificent Deum, qui dedit talem potestatem & dignitatem hominibus.

PUNIC.

PUNCTUM III.

De Sanctitate Sacerdotali.

Expende ulterius & infer, quantam tanta potestas & dignitas vite sanctimoniam exigat: si enim S. Petrus I. Ep. c. i. velit omnes Christianos in omni conversatione sanctos esse, quanto magis requireret, ut regale Sacerdotium sit gens sancta, ut scriptum est, & Sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Cum verò hac sanctitas in puritate à vitiis, & in excellenti charitatis, aliarumq; virtutum gradu consistat. Requiritur Puritas à peccatis lethalibus; sacerdos enim peccato lethali foedatus, monstrum est abominabile, & diaboli mancipium foris Agni immaculati vestes induens, & intus lupi truculenti formam gerens; & ferens corpus & animam Christi, Altissimo, & proprium corpus & animum Luciferi; alios per Sacramenta emundans, & seipsum peccatorum sordibus conspurcans, hostes Dei Deo reconcilians, & seipsum Dei inimicum constitvens: denique Christi

sum Dominum peccatis denuò crucifi-
 gens, & paulò post Crucifixum Patri ma-
 nibus adhuc cruentis presentans. 2. Re-
 quiratur Puritas à peccatis venialibus
 præsertim deliberatis: pulveres & ara-
 nearum tele toleranda non sunt in cali-
 cibus, multò minùs in vasis & calicibus
 vivis. 3. Puritas à Passionibus indomitis,
 ut sacerdotis animi limpidissima instar
 aqua pellucidi & radiis cœlestibus in ora-
 tione recipiendis idonei sint, non velut
 mare fluctibus agitatum turbulenti. 4.
 Modestia & gravitas, in vestibus, in
 gestibus, motibus, verbis, & composi-
 tione totius corporis, juncta cum odore
 boni exempli. Vos estis lux mundi,
 Matth. 5. ergo implete officium, & lucete.
 Vos estis sal terræ: ergo peccatores condite,
 putores extinguite, corruptiones arcete.
 Vos estis populi amussis, & regula; vos
 forma; populus cera: Ergo facti forma
 gregis ex animo (1. Petri 5.) illum bene
 formate & fingite. 5. Castitas Angelica,
 hanc exigit oratio, psalmodia, Sacra-
 menta, ipse præsertim Agnus immacu-
 latus, & castissimus Virginis Filius,
que

que

quem toties tangitis & sumitis: ne duplici scelere, altero contra preceptum Dei, altero contra votum vel preceptum Ecclesie maculemini. 6. Temperantia, ob sanitatem conservandam: In multis enim escis non deerit infirmitas, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Eccli. 37. Deinde ob castitatem defendendam: nam Dum venter satietate extenditur, aculei libidinis excitantur. S. Augustin. Denique ob sacerdotalia officia rite obeunda, abstinentie, consecrationis, predicationis. An non confusio & ignominia est Jesum Christum Crucifixum, pauperem, esurientem factis predicare corporibus & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? 7. Liberalitas in pauperes. Quod de patrimonio Christi superest, Christi membris egentibus distribuendum est. Nam S. Bernardus Epist. 2. ad Fulc. scribit: Quid quod prater necessarium victum & simplicem amictum de altari retines, tuum non est rapina est, sacrilegium est. 8. Denique ardens devotio & charitas.

Pro affectu excita in te desiderium

amoris

amorem & zelum prædictarum virtu-
tum & in colloquio easdem ferventer
flagita.

Colloquium ad Christum.

Lava me, Jesu amantissime, & sanguine
tuo à peccatis meis munda me; atque
imple quod per Malachiam c. 3. de te pro-
missum, prædictumque est: Et purgabit
filios Levi, & colabit eos quasi aurum &
argentum, & erunt Deo offerentes sacri-
ficia in justitia. Purga me ut aurum, à
voluntariis excessibus, etiam minimis;
cola me quasi argentum ab omni pas-
sionum scoria, & omnium sacerdotalium
virtutum gemmis me exorna, ut in justitia
consummata & sanctitate perfecta
sacrificium offeram. Amen.

De tribus modis orandi.

Post meditationem S. Ignatius in li-
bello Exercitiorum docet triplicem orandi
methodum, meditationi affinem; sacer-
dotibus, qui vel varietate delectantur,
vel ingenio ad alta mysteria meditanda
destituuntur, perutilem.

D

Primus

Primus orandi modus.

Versatur hic orandi modus, circa decem Decalogi præcepta, aut præcepta Ecclesie, aut peccata capitalia, aut potentias anime, aut denique circa 5. sensus. Praxis expedita est hæc:

1. Statue te in presentia Dei, atque orationem preparatoriam præmitte, quam gratiam postules peccata detestandi & emendandi. 2. Expende v.g. primum Decalogi præceptum spatio circiter trium orationum Dominicarum, ac dispice quid hoc præceptum contineat, quæ à te observatum hæctenus aut violatum, de quæ transgressionibus dolorem intimum concipere subjunctâ oratione Dominica. Deinde progredere eodem modum ad præceptum secundum, & tertium ac reliqua, præcepto inherendo diutiùs, quod si transgressus es. Praxin exemplo clarò.

Primo Decalogi præcepto mandatum est: *Ego sum Dominus Deus tuus non habebis Deos alienos coram me* quo exigit, ut ipsum solum, Deum, De-

minu

minum, ac summum Bonum nostrum
 agnoscamus, amemus & colamus. Ego
 verò quoties iustissimum hoc Deime i man-
 datum prævaricatus sum! dum ipso spreto,
 creaturæ adhæsi, eamque plùs colui &
 amavi, quàm Deum? ô quàm doleo
 Deus meus! utinam te summum Bonum
 meum, te spiritum pulcherrimum, præ-
 stantissimum, nobilissimum & perfectis-
 simum super omnia semper amâssem &
 coluissem, rebusque omnibus prætulis-
 sem! Altera præcepti parte vetat Deus
 idola adoranda sculperè. Et quoties id
 transgressus sum! quot idola in corde meo
 sculpsi & fabricavi? Idolum meum ali-
 quando fuit propria excellentia; cui servivi
 per ambitionem & superbiam: idolum
 meum fuit proprium iudicium, cui ser-
 vivi subinde per contumaciam: idolum
 meum fuit voluntas propria, cui servivi
 per inobedientiam: idolum meum fuit
 venter & gula, cui servivi per ebrietatem
 & crapulam: idolum meum fuit volup-
 tas carnis, cui servivi per luxuriam. De-
 nique idolum meum fuit iracundia &
 quæcunque passio inordinata, cui servivi,

P

Dirckinck

orolog
sacerdot

cujus objectum colui & adoravi per
 fervescitiam aut concupiscentiam. De
 leo, mi Deus, ex animo, de spiritu
 hac idololatria mea, eamque damno
 submisséque gratiam flagito, extermin
 tis è templo cordis mei idolis omnibu
 te solum Deum verum & vivum tu
 cè deinceps colendi & adorandi. Amen
 Pater noster.

Secundus orandi modus.

*Refricatâ per actum fidei Dei presen
 memoriâ, recitatâque oratione prepar
 toriâ; aggredere orationem Dominica
 aliâque, & in ejusdem verbo aut se
 quolibet inhere, quamdiu varia figu
 rationes, similitudines, gustus spirita
 lus, motusque pii & affectus incidunt:
 absoluto, idem in sequentibus factit
 dum: nec anxie transcurrendum ad
 si in uno devotio affluat, licet in pauc
 verbis hora integra absumenda foret;
 casu, reliqua cursim absolvuntur.*

Praxis exemplo declarata.

*Pater noster. Tu es verè Pater nos
 Creator noster, Redemptor noster, multo
 bonorum omnium largitor: tu enim*

condidisti è nihilo; tu venundatos sub peccato, ab æterna morte vindicasti: tu bonis omnibus naturæ & gratiæ nos ditasti.

Qui es in cœlis: ubique quidem es per essentiam, præsentiam & potentiam; sed in cœlis es insuper peculiari ratione per gloriam: ibi te manifestas Electis, ibi perfectè cognosceris & amaris, benediceris & glorificaris, ibi regnas & triumphas in secula. *Sanctificetur nomen tuum*, quidquid es & nominaris, sanctificetur in hominibus, mortales omnes, te indes magis magisque cognoscant, ament, timeant, laudent & benedicant, in omnibus mundi Regnis & Provinciis, usque ad consummationem seculi. *Adveniat Regnum tuum*: regnum gratiæ, regnum virtutum, per quod in me, omniumque cordibus regnes & regnum gloriæ cœlestis: exulet regnum Diaboli, Mundi, Carnis, &c.

Modus hic orandi mirificè mentem illustrat, affectum excitat, & dulcedinem in singulis partibus latentem gustare facit: multoque fortasse melius est, hoc modo semel orationem Dominicam recitare.

quàm vigesses cursim & cum exigua
tentione. Ita orabat S. Franciscus Ser-
phicus. Hunc modum orandi valde
commendat S. Ignatius: & facile ab
quibusvis hymnis, psalmis, & versibus
accommodari potest.

Tertius modus orandi.

Peractâ oratione preparatoria,
fide presentia. Dei excitatâ, orationis
cujuscunque voces, velut per singulas
respirandi vices transmittit, diutius
immorando, uni voci, quâ
duret respiratio; expendendo inter
vel significatione vocis, vel personam
ad quam oratio dirigitur, dignitatem
vel propria vilitate, vel postremo
usque differentiâ.

Praxis exemplo declarata.

Ave, ex toto cordis affectu, salu-
gaude, lætare. *Maria*, Dominica
Regina, stella Maris. *Gratiâ* plena
plena fide, spe, charitate, humilitate,
tate, omnibusque virtutibus, in
gratiarum. *Dominus tecum*, per

tiam, incarnationem & amicitiam speciale. *Benedicta tu in mulieribus*, ab omnibus illarum maledictis libera, omni benedictione cœlesti repleta. *Et benedictus fructus ventris tui*, benedicatur & laudetur ab omnibus Angelis & hominibus, Patriarchis & Prophetis in æternum. *Sancta Maria Mater Dei*, & Mater nostra amabilis, admirabilis, dulcissima, amantissima. *Ora*, instanter, efficaciter, indefinenter Filium tuum dilectissimum. *Pro nobis peccatoribus*, indignis exauditione & veniâ; supplicio & pœnâ dignissimis. *Nunc*, ut vitam emendemus & sanctè vivamus. *Et in hora mortis nostre*, ut sanctè moriamur
Amen.

